AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS
Göttweig (?), 12. Jh. Seite 130r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



partes ei. si tanquam interno mouetur. possumus dicere
quantum sit temporis. ex quo ab illo loco usque ad illum locum.
motus corporis vel partis eius effectus est. Cum itaque aliud sit mo
tus corporis. aliud quo metimur. Quam diu sit. quis non sentiat.
quod horum pocius tempus dicendum sit. Nam si aeuarie corpus
aliquando mouetur aliquando stat. non solum motus eius. sed aeiam sta
tum tempore metimur et dicimus. Tantum stetit. quantum mo
tum est. Et si quid aliud nostra dimensio siue comprehenderit. siue
existimauerit. ut dici solet plus minus non est ergo tempus
corporis motus. et confiteor tibi domine. ignorare me adhuc
quid sit tempus. et rursus confiteor tibi domine scire me ista in tem
pore dicere. et diu me iam loqui de tempore atque ipsum
diu non esse diu nisi mora temporis. Quo modo igitur hoc scio. quan
do quid sit tempus nescio. an forte nescio quem ad modum
dicam. quod scio. Ne eu mihi qui nescio. saltem quid nesciam. Ecce deus
meus coram te quia non mentior. sicut loquor ita est cor meum.
Tu illuminabis lucernam meam domine deus meus illumina
tenebras meas. Nonne tibi confitetur anima mea confessione
ueridica metiri me tempora. itane deus meus mecior.
et quid meciar nescio. Mecior motum corporis tempore.
item ipsum tempus non mecior. An vero corporis motum metirer
et quam diu sit. et quam diu hinc illuc perueniat nisi tempus
in quo metirer. Ipsum ergo tempus unde mecior. An tem
pore breuiore metimur longius. sicut spacio cubiti.
spacium rasti. sic enim uidemur spacio breuis syllabe
metiri spacium longe syllabe adque id duplum dicere.
[illegible]ta metimur spacia. carminum spaciis uersuum.
quam spaciis pedum. et spacia pedum. spaciis syllaba
auolarum. et spaciis longarum spaciis breuium non in pa